



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinque**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

exemplo, ne regias quidem obscuret familias, ex quo tamen quis esset, mercatoribus certo innotuit, curabant literis per argentarios annuas illi eleemosynas numerari, quibus non modo ali possent, verum & socios Fabrum, Bobadillam, & alios liberaliter subleuare.

Verum ea quam dixi causa in Belgio diuersanti euenit, quod in eo sanctis adscribendo, iurati testes, indubitatae fidei tradiderunt, nempe Ignatium tanto ante, à Deo edoctum se fore Societatis patrem. Negotiabatur Antuerpiae iuuenis patria Metinnensis Petrus Quadratus, huic dum manum ad stipem porrigit quam sane ex eo accipiebat, liberalem, prospexit diuinitus quanto largiorem esset quondam ex eo accepturus defixisque in eum oculis. Erit, ait, cum tu Domine mi, tam benigne nunc in me beneficus, tua in patria, religiosae familiae Collegium fundabis, quam per me nihili hominem, editurus est in lucem Deus. Fecit oraculi nouitas; modusque tam certo asserendi, & partum iam, auctumque deinceps apud omnes sanctitatis nomen, ut mercatoris animo, nunquam ea verba exciderint; & Francisca Mansonia eius vxor, primis Societatis primordiis, in quemcumque nostrorum incidisset, consueuerat hoc idem memorare: fidem varicinio euentus fecit, fundatumque Metinna à Quadrato Collegium, praedictam cum Societatis ortu foundationem eius confirmauit. Dignum quoque literis quod ei accidit, cum Ludouico Viues homine cordato, magnaque eruditionis: Is cum Brugis Ignatium ad mensam, siue ut pauperem, seu alio titulo habere voluisset, agentem audiens de rebus diuinis, tam sublimi stylo, tantaque peritia recondita pietatis, haesit attonitus, ac post eius discessum, iis qui aderant, hic inquit, plane est vir sanctus, & religiosum ordinem quandoque fundaturus, adeo in illo iam tum eminebant ingentis animi ad Dei gloriam opes eximia, ut quae esset olim patraturus vel humano possent iudicio conici.

Neque verò (quod dictum sapientius) id eum latuit, ex quo factum ut curas adiceret nouo delectui hominum habendo quorum par esset animi suppellex magnis rebus quas designauerat in Dei gloriam gerendis. Nouo, inquam, delectui, nam illi quatuor quos ante legerat, instar fuere sterilium feminum quorum herbescens viriditas spem fallit agricolae, cum æquis se passibus vidissent non posse gigantem affectari, & quocumque pedem intulissent, inde continuo delatores, calumnias, carceres, catenas enasci. Præter emendicandi victus penuriam miseram, boni licet viri, vitæ sibi hoc genus putarunt fore non tolerabile, nec ei profecto pares esse alij poterant nisi homines excoctæ & Heroicæ virtutis. Quamuis, ei primus eorum feruor patienter se accommodasset; in eo autem Ignatius velut in delitiis nataret. Quare alius alio paulò felicius, sed in diuersa omnes abierunt. Calistus peregrinatus in terram sanctam, velut tacto; è cælo, humi reuolutus mercaturam fecit, & lucri avidus Indiam petiti; quique Ignatio, constanter adherens, Xauerius alter esse potuerat, deserto illo tenuis mercatoris, & vitam, & mortem obiit. Infulis inhians Arriaga in Americam nauigauit,

XXXVII.

XXXVIII.

*Primorum
Ignatij Socio-
rum leuitas,
& exitus in-
salix.*